

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Manuscripta Rhenaugiensa - Cod. St. Blasien 33 bis 37

[Pars IV] - St. Blasien 36

Rusconi, Bernhard

[Südschwarzwald, St. Blasien u.a.], [2. Hälfte 18. Jh.]

Stanislaus Wülberz, Synoptica Historia Originis Monasterii Sancti Blasii

[urn:nbn:de:bsz:31-46582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-46582)

Synoptica Historia
Originis
Monasterij Sancti Blasij

Auctore R. P. Stanislao Wülberz Eiusdem Monasterij
Monacho.

Scripta Idibus Martij anno 1755.

Prolegomenon I.

Inane prorsus Comentum reputamus, à Diocletiani perse-
cutione, aut ab irruptione Altila primorum sylva nigra Ana-
choritarum Originem deducere velle, ubi et impossibilem eorum
Successionem per aliquot secula fingere. Non persecutionem fu-
gientes, sed peccatricem mundum evadere cupientes post predi-
cationem S. Columbani seculo VII. factam hic se abdididerunt, ac
casu ad Albani torrentem convenientes vitam in Commune
agere statuerunt, locumq; hunc sibi delegerunt, nulli adhuc Regula
addicti.

A.

Crescente postea Fratrum numero Domum ligneam ac Oratorium
in loco, ubi nunc Sacellum S. Nicolai visitus construxerunt. Cogi-
tantes vero de assumenda aliqua Regula, non pica augurio, sed
S. Firminij ex Augia pulsi hortatu, seculo demum VIII. Sancti
Benedicti Regulam impetrarunt ab Erinfredo Episcopo Con-
stantiensi, qui et Chronicon ejusdem Cella scripsit.

B.

Initio
Frates ad albani dicti a præterfluente fluvio, Sacris spiritualis
Cellam in Prioris Romen commutarunt, nec ante restaurationem
seculi X. S. Blasij nomenclaturam assumpsisse puto, atque
ad distinctionem, memoriamq; veteris Cella alba Cellam Sancti
Blasij nominasse. unde merito apparitio S. Blasij Fratribus
facta humili corde et pietate disquirenda venit.

C.

D.

Illud ex vita S. Fintani notum evadit, S. Blasij deliquias
Româ Rhenaugiam allatas fuisse, antequam prædictus Sanctus
in archissimam se inclusisset Cellam. Loque dudum recluso in vi-
cinum saltum, per quem cum Rhenaugiensibus Patres Bolandini,
et Casparus I. abbas, Conventum nostrum intellexerunt, esse
transportatas. At quo anno? Contra interpolatum in Chrono-
logia, et recentiore vite scriptorem nuper sensimus ac proba-
vimus, S. Fintanum Rhenaugiam advenisse anno 851. reclusum
post

- E. post annum 856. Mortuum 878. Optime ista coherent cum Traditione Cella alba ad Rhenaugiam pro stabiliendo inibi servitio S. Mariae a viro Nobili Sigimaro anno 858. peracta: nec enim in mentem mihi inducere possum, ante Traditionem Cella alba illuc, tanquam in locum peregrinum nec subiectum, pretiosissimas S. Blasij Reliquias collocasse. Errant nihilominus Rhenaugiones, dum ex laudata Traditione concludere volunt, disciplinam Rhenaugiones Cella alba invexisse; verò potius argumento, quod varijs rationibus stabiliri, Cella alba ritus suos quos a S. Trudperti Inquilinis necdum sub Abbate Constitutis mutuasse vult Bucelinus, Rhenaugiam introduxit. Primus tunc Abbas Rhenaugia praerat Gozbertus, quem Ludovicus Franciae Orientalis Rex in Moguntiacensi Concilio anno 852. ijs praefecerat: cumq; dicat, Monachum quemdam, ipsi quoq; Rhenaugiones eum aliunde evocatum tenent: imò Justineri popet, eum ex alba Cella ineunte saeculo IX. apprimè florente, Sicque antiquiore, assumptum, licet S. Gallenses ex Solis Conjecturis eum libenter suum vellent, Auctorem fuisse, ut S. Blasij Reliquiae in vicinum saltum pervenirent, ac ipsamet Cella alba ad stabiliendum servitium S. Mariae ex orienti primùm Rhenaugia uniretur. Ex quibus Consequitur ab Anno 858. usq; 912. Cellam albam cum Rhenaugia, cui anno 859. Ludovicus Rex, et in alpegove Cellam, qua dicitur alba, confirmaverat, eosdem Coluisse Abbates. Gozbertum nimirum, ut dixi, primum Abbatem Constitutum anno 852.
- F. Antuarium anno 861.
Wolvenum ex Restauratore Abbatem circa 871.
Wichramum, qui cum S. Gallensibus anno 885. Confraternitatem inierat.
Gozbertum II. ab anno 888.
Quopertum anno 912. quo decedente in potestatem Episcoporum Constantiensium pervenit.
- G. Nomina porro Monachorum Cella alba, qui Rhenaugiam concesserant, discimus ex Necrologio S. Gallensi. Ibi duo tantum Presbyteri comparent, Theoto, et Regimbertus, reliquis in fine appositum Conversi, quos sequuntur sorores. Monachi fuerunt quatuordecim, sorores undecim: Quinam autem juxta Capitulare Aquisgranense in Cella alba remanserunt, alium in

in monumentis nostris silentiam. Id certum saeculo X. incunte Cellam albam perijisse, cum ex Diplomate Ottonis Constet, Reginbertum Heremytam sanctum ibi primum habitare cepisse. Quinam hanc per Hunnos, ex Bucelino alpigoviam imprimis, et anno 933. S. Trudperti Canobium nobis vicinum, devastantes evenisse, se suspicamus, haud aberrabimus.

Polegomenon II.

Cellam albam ob Hunnorum incursionem aut derelictam, aut sicut alia loca sancta saeculo X. incunte devastatam supra innuimus. L.

Restant nunc ejus iterata initia. Reginbertum enim I. Heremytam virum sanctum et Beatum, qui primas ibi habitare cepit, a Reginberto II. de Seelinduren Dotatore, locali XI. homine diversum, Cellam noviter constructam Deo et S. Blasio dicasse, Regium Ottonis Diploma loquitur.

Num autem unus ex Monachis fuga elapsis ac revertentibus, vel ex ipsa Thenaugia, aut ex Exmo Seipara Einsidlenfis fuerit, edicere nequimus. Ejus adventus statuendus circa annum 945. Obijisse in Aula Regia, quorum pro obtinendis Privilegijs abierat, anno 962. aliorum Eleemosynis, adjectus novas structuram profuit. M.

Varias ob rationes Abbates statim sub eo cepisse credimus. Quo factum, ut a jugo Thenaugionfi, ut et potestate Episcopi Constantiensis liberi evaderemus, antequam Thenaugia, qua eo tempore nullum Abbatem ostendere potest, post everisionem suam Episcopatus Constantiensis tradita Libertatem suam consequeretur. Nam anno primum 973. a S. Conrado dimissa Thenaugia, anno demum 995. Libertatem plenarie sibi stabiliri gavisa est. N.

Primus itaque S. Blasii Abbas electus Berngerus a sancto Conrado Episcopo Constantiensis benedicitur et confirmatur intra annum 946. et 955. Obijt anno 974. O.

Post Berngeri obitum Abbatiam Wgo Monachus, ob morum insolentiam, antequam benediceretur, a fratribus denuo depositus, anno 974. invasit.

Exin sine ullo inter regno successerunt Engaherus seu Wernherus anno 974. defunctus anno 994.

Sigefridus

Sigefridus probabiliter extra provinciam mortuus
Electus anno 994.

Hoc ipso Avo tria Ottonum Privilegia, quae recensentur
et examinantur, nobis obviaverunt, Ottonis I. II. et III.

Prolegomenon III.

Reginbertus II. de Seldenturen Laicus opibus suis et
Latifundijs nobis oblati's Dotator precipuus nominandus
venit. Non fuit unimanus. Ab saeculo primo XI. advenit.
Ejus petitione motus Conradus Salicus Rom. Rex anno 1025.
Episcopum Basileensem S. Blasij Advocatum constituit,
cujus chartae authenticam juxta exemplar S. R. I. Proce-
rum saeculo XII. viventium merito rejicimus. Ibi enim
non Sanctum et Beatum, uti Ottonis Diploma, sed bona
memoria Laicum nominat, non primum ibidem habitasse,
sed Locum solitarii Deo servendum elegisse narrat.
Fatis cepit Reginbertus iste post Dedicationem veteris
Ecclesiae anno 1036. peractam IV. Cal. Jan. Demortui
Corpus curarunt in veteri Ecclesia, ab Uthone Abbate
in novam Ecclesiam translatum. Moderni Lapidis
Sepulchralis aetas examinatur. An vero hunc Regin-
bertum I. Beati Titulo honorent veteres Pontificum
Bulle, in dubio relinquimus; uti an illa apparitio
venerabili Marquardo facta, seniori potius, an
huic adscribenda. Modus antiquus ejus Anniversa-
rium peragendi.

Prolegomenon IV.

Beringerum de Hochenfurande scriptores nostri pri-
mum abbatem dixerunt, in anno obitus dispersi, dum
alii saeculum X. alij et rectius XI. posuerunt. Nos
autem inter regnum nullum admittentes, praemissis
Berngero, u. zone deposito, Engahero I. wernhero, et
Sigefrido, quintum abbatem veneramus, saeculo XI. ex
Priore in abbatem electum. Sub eo dedicatum est vetus
Monasterium anno 1036. variisq; alia monachorum habitacula
Con-

construxit, in qua literatos Monachos introduxit, illiteratos vero, quos fratres exteriores nominavit, in priori claustris reliquit. an miracula ei solum, an ob temporis rationem aliqua Berngero adjudicanda veniant, judicent alij. Vita innocentis ratio. Obijt anno 1045. IV. Kal. April. Sepultus in veteri sua Ecclesia ante Altare S. Martini. Aetas hodierni Lapidis Sepulchralis inquiratur.

Ha indocta Cogitationes meae: quibus si addant doctiores me sua perdocta iudicia, subito, credo, tenebrae dispalescent. Jam potius ad Epitomen rerum Blasianarum propero, quam a Wernerio exordior; Sub iudice quippe lis est, num Solus Beringerus de Hohenstwandae, an plures iuxta meum sistema, Berngerus videlicet, Ho depositus, Engaferus seu wernerus, Sigifridus, ac demum saeculo XI. Gregingerus, melius Beringerus, in Abbatiati dignitate eum preceperit. Haec omnia severiori iudicij sui Tritina ut prius examinent alij, animitus rogo, et obsecro. Non inanem primi inventoris gloriam, sed amicam ubique veritatem, ac Monasterij nostri incunabula certiora praeculis habui. Ha eruditissimus D. P. Stanislaus Wulberz.

Adversiones

Animadversiones

In Synopticam Historiam Originis Monasterij
S. Blasij.

Cum nuper Epitomen Historiae Sancti Blasiana Vir summa eruditione et humanitate praeditus P. P. Hugo Schmidfeld cum praesente Celsissimi Principis Martini II. Cujus Libreraria praesertim merita nemo est, qui nesciat, transmississet, synopsin saltem originis describendam duxi, eius aliquas animadversiones currenti calamo annexere, propterea quod non pauca ad Historiam Monasterij nostri Rhenaugienensis pertinentia complectatur. Ceterum quis Ego sum, ut audeam vel leviter virum vastissima eruditione praeditum P. P. Stanislauum Wülberz perstringere, qui multis annis subsidia Louplesiissima viginti circiter Tomis contenta comparavit? Ego, inquam, qui triennio elapso monumenta Monasterij nostri perscrutari coepi, et omni eruditione nudus Historiam aggreffus sum, jam medietate sua absolutam? Monita ergo quaedam duntaxat subministrabo, tam illis quam nostris, si dignentur legere, fortasse profutura. Ordine hujus synopsis servato, Literis ad Marginem notatis indicabo, quo meo referenda sint animadversiones.

A.

Post praedicationem S. Columbani saeculo VII. factam hic se /: Anachorita /: abdiderunt. Miror, Clarissimum P. Stanislauum in praesenti synopsis adoptare sistema diatriba ab eruditissimo P. Hugone ante quinq; et triginta circiter annos elaborata, cum ipsemet P. Stanislauus in superiori ac satis proluxa deductione prolegomenorum praemissa idem sistema refutarit N. VII. Ego solum addo, S. Columbanum Luxovio per Burgundiam in Turigoviam adventasse, quae ex monumentis nostris unacum Turgovia ad Sueviam computabatur, ad Limagum flumen, et Lacum Figurinum praedicasse, Etenim forte ne vidisse quidem, multo minus superasse. unde Otto Frisingensis l. 1. de gestis Frid. Imp. c. 8. Turicum vocat nobilissimum Sueviae oppidum: et Alemanniam à Lemano fluvio Sueviam. apud Ursis. p. 412. Ceterum nigra et marthialis sylva non terciaria tantum, sed et illa

Radperthus et Wä-
-Casildq Itabo apud
Goldastum aliter sen-
-tiae videntur.

Nispiam hoc legi.

et illa dicebatur, quae in moderna Helvetia Lacu Tigurino
 posterior est. ut mentem meam ea libertate, qua inter amicos
 decet, breviter expediam, vix credo, solidum Originis San-
 blasiana sistema proditurum, quod apud viros cordatos et
 praecipue liberos fidem mereatur, nisi praecipue
 veterum heremitarum cogitationibus, quae hactenus historiam
 illam insuperabilibus tenebris obvoluerunt. Non indiget
 S. Blasius dubijs laudibus, quando praecordia ejus statim
 subsequis saeculis amplissima prodierunt. Melius fortasse
 in Fundatorem inquireretur, qui Cella adeoque Monasterij
 auctor fuerit, hoc enim est, quod volumus, dum de origine
 cujusdam Monasterij disputamus. Solebantur nimium vide-
 tur illa anachoretarum ante condita Monasteria in quondam
 Locum Convolutio, et pluribus alijs Monasterijs Communis, hoc
 enim de Disserthina, hoc de Fischinga, licet ruinoso cum funda-
 mento aperitus: quin et non defuere, qui somniarent, etiam
 in Insula Rheni nostri, ante conditum asceterium, se abdidisse
 Eremiticam. Idem de Monasterio Schaffhusiano narratur. Vide-
 mus tamen, quae pro S. Blasio specialia pugnent Argumenta.

Pracipuum ac unicum ferme Argumentum pro antiquis illis
 Anachoritis, ut arbitror, desumitur ex Libro I. Constructionis
 Monasterij S. Blasij, in quo vita illorum sancta inter horrida
 Alpigoviae nemora mirifice deprecatur. Sed imprimis
 Anonymus iste toti illi libro nusquam ullam apposuit Chrono-
 logiae Notam, nihil de S. Columbano, nihil de saeculo VII. VIII.
 aut Nono meminuit, unde libera nobis facultas relicta, ad
 quodcumque Tempus illa anachoretarum gesta reponendi. Me-
 minit eodem adhuc libro Regiberti, qui saeculo X. vixit, et
 in Diplomate Ottoniano sanctus Heremita laudatur; Qua-
 propter suspicor, totam illam historiam ad illa tempora re-
 ducendam esse. Argumento esse potest, quod narratio Anonymi
 ad tempora Sigemari non pertingat. Sane ligneam illam habi-
 tatiunculam, quam fecerant anachorite, Anonymus testatur
 lib. II. anno primum 1084. fuisse destructam, nec imaginari-
 queo, Tempore facte a Sigemaro Donationis, nihil nisi ligneum
 opus in Cella Alba stetitisse. Quod si quis opponat, non posse
 illa, quae Anonymus de Eremitis refert, praecise intra Tempus
 Regin-

Regin-

Reginberti concludi; expedita est responsio, neque illa prope
 praecise de superioribus saeculis explicari. Sed quid moros ano-
 nymum, qui ad finem saeculi XIV. scripsit, atque adeo idoneus testis
 esse non potest illorum, quae ante septingentos annos contigisse
 referuntur. Accedit, quod tot ac tantis falsis ac contradictionibus
 scateat, ut nec apud domesticos fidem emereri poterit. ad
 sumum igitur indicio esse potest cuiusdam antiquae traditionis,
 quam ipse sine ullo inter verum et falsum iudicio, sine ordine, sine
 temporis nota descripsit, imò adauxit, ut Lectores antiquitatis
 opinione deciperet, certe confusos redderet et perplexos. Excusat
 nonnihil S. Stanislaus quoad hoc Anonymum, quod forte contra
 mentem ipsius posteris eum de superioribus saeculis loquentem
 explicaverint, cum tamen ipse non multis saeculis, sed multis annis
 auntaxat anachoretas cum extrema indigentia luctatos fuisse
 asserat. Sed hoc ipsum ad tempora restauracionis saeculo X. facta
 referri posse videtur; Magnum erat enim, vel aliquot annis sine
 secto, sine foco, sine cibo humano, inter steriles illas rupes, et
 arbores posse versari.

B.

Non Pica augurio, sed S. Perminij ex Augia pulsi hortatu
 saeculo demum VIII. Regulam S. Benedicti impetrarunt. Vereor
 ne et ipse à Clarissimo S. Hugone, sine ulla ingeniose tamen excogitatus
 S. Perminij per Cellam albam transitus apud viros ad
 credendum non proclives, ut hodie fere sunt, ingressum obtineat.
 Fabula anilis est, quam Anonymus narrat, Cogitantibus tremulis
 de Regula alicujus susceptione, indicio Pica advolantis nigro
 alboque colore micantis, Regulam S. P. Benedicti, in his par-
 tibus, ut ait, ignotam, fuisse indicatam. Placet saltem
 ingenium aenigma declarantis, quod per priores litteras Si
 non Pica, sed Perminius intelligendus sit, quod nesciens ille
 Anonymus Picam scripserit. Ceteram jam advertit S. Stanis-
 laus, nomina initialibus tantum litteris scribendi usum ante
 saeculum XII. non inchoasse, proinde ex nullo antiquo scripto
 legerit, sed voce viva Picam illam hauserit aut capserit
 Anonymus. Ego aurem mihi his tantum verbis vellicari puto:
 quod gratis asseritur, gratis negatur; nolo enim esse prolixior.

C.

Ab Erinfredo Episcopo Constantiensi, qui et Chronicon
 ejusdem Cellae scripsit. Principium hoc est antiquitatis monu-
 mentum,

mentum, cui innititur *Carissimus S. Anastasius*, nescio tamen, an non penitus *Euinosum*; Ego certe haec *Fidere* haud malim. Quis enim unquam vidit hoc *Chronicon*? Certe licet ipsemet, dum *Monumenta Augusta* gentis *Habsburgice* in *abditis* *ferinis* investigaret, ubiq; locorum *solicite* perquisisset, illud tamen se non *invenisse* dolet *Proleg. I. S. I.* Nec mirum, cum nec *Anonymus San Blasianus* ante quatuor secula id *viderit*, aut *ullam* de eo *notitiam* habuerit. Sed enim hoc *Chronicon* *Ernfido* *Episcopo* *adjudicant* *Manlius* apud *Pistorium* in *Chronico* *Constantiensi*; *Bucelinus* in *Chronologia* *Constant.* ad *annum* *739.* *Gallia* *sacra* *Tom. V.* alijsq; *aucthores*, nimirum *his* *similes*, quorum *nullus* post *non-* *gentes* *annos* *illud* *Chronicon* *S. Blasij* *vidit.* ut *dicam*, quod *res* *est*, *id* *omnes* *ex* *Pistorio* *descripserunt.* *Bucelinus* *sine* *ulteriori* *Crisi*, *non* *tamen*, *pro* *more* *suo*, *sine* *addita-* *mento.* *Gallia* *Christiana* *circa* *res* *nostras*, *certe* *thenau-* *gienses*, *tot* *continet* *errores*, *quot* *veritates.* *Fides* *ergo* *tota* *fit* *penes* *Pistorium*, *qui* *id* *non* *ex* *Ms. Manlij*, *Sed* *ex* *alio* *quodam* *fragmento* *descripsisse* *videbitur.* *Tota* *ista* *Chronologia*, *si* *excerpta* *ex* *Guilimanno*, *duo* *Diplomata*, *et* *vitas* *ff. Conradi* *et* *Gebhardi* *auferas*, *duobus* *vel* *tribus* *paginis* *constat.* *Nota* *potius* *volatiles* *Manlij* *ibi* *conti-* *nentur*, *quam* *opus* *elimatum.* *En* *titulum* *a* *Pistorio* *prae-* *fixum:* *Chronicon* *Episcopatus* *Constantiensis*, *inchoatum* *a* *Jacobo* *Manlio* *Brigantino* *Doctore*, *postea* *relictum* *o-* *veteri* *simplicitati*, *Sed* *auctum* *ab* *alio* *bono* *viro.* *Quis* *jam* *discernet*, *an* *ea*, *qua* *de* *Chronico* *S. Blasij* *referuntur*, *sint* *ab* *illo* *alio* *bono* *viro* *adjecta*, *an* *vero* *a* *Manlio* *veteri* *sim-* *plicitati* *relicta?* *Verbo!* *quis* *ignorat*, *in* *ejusmodi* *adver-* *sarijs* *plura* *sepe* *adferri*, *postmodum* *reijcienda.* *Audia-* *mus* *nihilominus* *verba* *seu* *Manlij*, *seu* *alterius:* *Ernsfidus* *in* *alia* *s* *Anastadius* *13.* *hic* *ut* *in* *Martyrologio* *S. Galli* *liquet,* *Abbas* *fuit* *Monasterij* *Augiensis*, *et* *scripsit* *Chronicam* *Mo-* *nasterij* *S. Blasij*, *prae* *fixit* *Ecclesiae* *Constantiensi* *anno* *735.* *rexitq;* *abbatiam* *et* *Dioecesim* *Constantiensem* *X.* *annis* *quam* *laudabiliter.* *Annun* *posteriorem* *ponit* *Hermannus* *Contraches*

pag. 630.

Contractus in Chronico Ms. sœc. XI. his verbis: "DCCXXXVII
 » Augie defuncto post II. annos Keba, Ernfredus in Augia
 » abbas, et Constantia Episcopus factus præfuit annos X."
 Ceterum alium silentium, an aliqua scripserit. Sed confi-
 deremus verba Manlij: Chronicam, inquit, Monasterij
 S. Blasij. quin hæc verba ad sæculum X. referenda, quo
 usque fugiter Cella et Cella alba inaudij. Præcipuum
 me video responsione hæud longius petita, quod profferri
 nomen augustius substituerint. Sed quare id non ipse
 Manlijus, aut quisquis ille est, advertit? Hæret sane
 animo serupulus.

Præcipuum tamen, ut verum fatear, in hac re est,
 quod assensum meum retinet, quia à me obtinere
 nequeo, ut credam, Episcopum Chronicon scripsisse aliquo
 anachoritarum in nemore latitantium, qui vix ling-
 neam domunculam inhabitabant. Quos! quodnam
 hujus descriptionis objectum? quæ per singulos annos
 facta? quæ mutationes? quæ successiones? quinam
 eventus mirabiles? si vitas Patrum dixisset, aliquam
 attentionem mereretur. Sed Chronicon, quale de nullo
 Monasterio illius sæculi habetur, credat mea pace, quis-
 quis volet, Ego certe in tanta penuria illius ævi scripto-
 rum historicorum, nunquam accensendum existimabo
 Ernfredum Eusebio, Hieronymo, et Bedæ, quorum
 Chronica tam præiosa.

Misso igitur ejusmodi Chronico, fortasse scriptor anony-
 mus Constructionis S. Blasij eandem Historiam divisit,
 et Episcopus ille, quem adierunt Eremitæ, alius non est
 à S. Conrado, qui et Regulam, et disciplinam, et Cellam
 in Monasterium justum restauravit.

D. Patris spiritualis titulum in Prioris nomen comutarunt.
 Indaganti mihi aliquando datâ operâ in Prioris nomen
 in Ordine nostro usurpatum, non occurrit exemplum
 ante sæculum XI. et Instituta Cluniacensia; Certè
 ad sæculum VIII. aut IX. ut hic sit, referendum non est.
 Neque

Regue Anonymus pro Propositi aut Decani nomine id
ponere debuit, quando expresse de nomenclatura discessit.
An potius ad Sculum X. iterum reijciendum iudicent alij,
quorum interest.

Optime ista coherent cum Traditione Cella alba ad Rhe-
naugiam pro stabiliendo inibi servitio S. Mariae a viro
nabili Sigimaro anno 859. peracta. Et ego utroq; pede
in eius Sententiam eo, qua ex Eruditissimo S. Hugone docet,
adventum S. Fintani in Insulam nostram figendum esse
ad annum 851. quam et alijs rationibus suo loco comprobavi:
quin et laudo ipsius Zelum, quo Rhenaugienses s. plerisque
non omnes, perstringit, tandem illam Epocham amplecti
volentes. Quod vero Donationem figimari hic cursim solum
adducat, non laudo; ex ea enim forte solidius Originem
Monasterij S. Blasij, seu Cella alba edificere potuisset.
Quidquid profecto sit, an nonnulli Eremita Locum illum
aliquandiu garavie inhabitaverint, alium meo insedit animo,
Sigimarum revera primam illius Cella Fundatorem esse
dicendum, cuius rationem alibi indicavi: hic solum addo,
primum illum mihi videri Fundatorem, quod plerumq;
Cella noviter Condita, non vero multis jam annis stabilita,
Solent in inferioribus Monasterijs Comendari. Quod vero
Sub hoc numero adverto est, S. Stanislauum Donationem
Sigimari ad annum 858. reijcere, Contra meam, quam
ex nostro S. Geroldo didici, Sententiam, qua ea refertur
ad annum 856. aut 857. cum annus in Charta precise non
exprimatur, nihil interest, dummodo in anno 858. pra-
cepisse dicatur Mensem Aprilem, quo datum est Diploma
Secundum Ludovici germanici, ubi Cella alba continetur,
ratioque fuerat, cur necessario praeponienda videbatur. At
immerito nos irridet, dum hoc ipsum Diploma huic anno 858.
affigimus, ipso posteriore 859. statuente. Inter alia,
utinam saperent, exclamat, ac intelligerent aliquando Rhe-
naugienses Epocham Regni H. Ludovici desumendam esse ab
anno

E.

WXXV

N. XXXIII.

anno 823. Recte! Bene! his adde Numerum 26. ita tamen
 ut annus primus Regni jam sit ille Trigesimus Tertius, inclusive
 non exclusive, ut vulgo dicitur, invenies profecto 858. non
 vero 859. attendisset saltem P. Stanislavus ad indictionem
 appositam Sextam, et non tam Contemptim aberrasset.
 occasione Fundatorum Nostrorum ex gente Quelfica, de
 quibus justum Tomulum nuper conscripsi, plurimas chartas
 hujus epochæ evolvi, et eas omnes hoc Computo numeratas
 esse et numerandas esse inveni.

F.

Errant nihilominus Ahenaugienses, dum ex laudata Traditione
 Concludere volunt, disciplinam Ahenaugiensem Cella alba in-
 vexisse, verso potius Argumenta, quod varijs rationibus stabili
 Conclusio Ahenaugiensem tam naturalis erat, econtra Patris
 Stanislavi tam præpostera, ut cum ante octennium circiter
 R. P. Joannes qualbertus in dedicatione Theſium suarum
 ad Celsissimum Principem hujus Wirtembergi sistematice mentione
 id apud Nostrates risum potius quam indignationem excitaret.
 si ipsis in Theſibus aliquid expressisset, me provocatum existi-
 masset, nunc autem dissimulandum putavi, quia Contentiones
 ad nihil utiles esse scio, imò sciebam, nec Eruditissimos Sancti
 Blasii Collegas cum defendente Professore hac in parte sentire.
 Sed ponderemus P. Stanislavi rationes, quas in prolixiori
 Prolegomeno primo §. 3. et quidem omnino Tres affert, 7
 postquam dixisset: Ulterius Ahenoviensibus Contraire
 pergo, ut refellam infulsam opinionem, ac si Cella alba
 undiq; florens in disciplina ab ijs reformata esset.

H. XXXIV.

Prima ratione nihil aliud probat, quam quod Ahenaugia
 post destructionem suam, quo restaurationem præcessit,
 reformatione indiguerit: ergo, ait, aliorum potius ope
 indigebat, ut revivifceret. Optime! advertere tamen
 volo imprimis, Monasterium nostrum non penitus, sed
 penè destructum in Diplomate asseri; jugiter enim
 Monachos persistisse, ex chartis constat. Deinde totum opus
 restaurationis completum fuisse, antequam Cella alba
 Ahenaugia donaretur, et quidem maxime per extraneos,
 non

non Cella alba Eremitas, imprimis ipsum Restauratorem Wolfe-
 rum, quem in corde colo et veneror, deinde S. Fintanum
 Scotum, miraculis ac virtutibus jam undiq; clarum, anno 851.
 Irenægia Monachi habitū induitum, atq; inter fratres Solido
 quinquennio comoratum, quos non vagos non dissolutos, sed
 disciplinatos, regulares, et si vis, jam reformatos fuisse, vel
 ex vita ipsius solidissime constat; cur enim alias inter fratres
 paganos, cur solitas vigiliarum laudes praveniens, cur à
 constituta singulis Fratribus annona cum licentia Abbatis
 abstinentis memoraretur, si in Monasterio neglecto atq; nullius
 observantia habitaret, antequam Cella alba veniretur, aut
 fratres illius advenerunt, si famen ulli unquam advenerunt?
 Mitto sexcenta alia, quæ facite eruere ex vita poterit, cui
 otium est; id solum ut notum ex solitariorum Regula adverta,
 inclusos in nullis Monasterijs permisos fuisse, nisi majoribus,
 atq; adeo observantia claris: atqui S. Fintanus sese reclusit,
 fidente S. Stanislao, antequam Cella alba in partem Monas-
 terij numeraretur.

Restaurata quoq; fuit Irenægia quoad disciplinam
 per Gothbertum S. Galli religiosissimum Monachum, quem
 electum fuisse, et quidem jam anno 851. Contra expressa
 verba Diplomatis Ludoviciani perperam negat S. Stanislao,
 ajens, eum non electum non confirmatum, sed immediate
 à Rege constitutum seu impositum fuisse; cui è diametro
 Ludovicus: quem à Fratribus, et à se [Wolfero] Electum
 vocat. Restaurata est deinceps disciplina, si vis, ab alijs
 Monachis ex S. Gallo et Augia, Monasterijs illo jam ævo
 florentissimis, expetitis; quod non gratis dictum existi-
 mabit, qui in Diplomate Ludovici legit, Confirmationem
 restorationis horum Monasteriorum Abbatibus, magnis
 in aula viris, presentibus et expetentibus fuisse impetra-
 tam. adeo non indignum Irenægia in disciplina regulari
 instrui à Fratribus Cella alba.

Secunda ratio S. Stanislai, et quidem præcipua, ni fallor,
 desumitur ex ipsa Donatione Sigimari, ubi discrete asseritur,
 eam

Javentus.
Merati.
So. II. p. I. sec. VII.
cap. II.

eam factam fuisse ad stabilendum inibi servitium S. Mariae
inibi inquit ad Thenaugiam pertinet, non ad Cellam albam
cujus potius Patronus fuit S. Nicolaus fuerit. S. Nicolaus?
Sciunt antiquarii, hujus cultum saeculo IX. Italia Occidentale, et
notum fuisse. Ergo Cella alba potius nullum, quam Beatissima
virginem, Patronam habuerit. adverti aliquando, quia
Cella alba locus ultimus est, qui in hac charta memoratur,
particulam inibi potius referri posse ad hanc ipsam Cellam
ut sensus sit, Sigemari viri Nobilis intentionem fuisse, ut
cultus ejusdem gloriosae Virginis, qui Thenaugia excelebat,
in Cella quoque alba propagaretur. Sed liberales sumus
demus S. Stanislao, quod postulat, nimirum sub particula
inibi intelligi Thenaugiam. Quid sequitur? stabilendam
fuisse devotionem et cultum erga B. V. per Fratres Cella
alba, et eam quidem devotionem, quae jam antea probantur
S. Stanislao Thenaugia vigerat. Sed quae? cur non ex alio
Monasterio specialiter servitium B. V. dedicato postulat, sed
Fratres, ad eum cultum instruendum seu promovendum
En quomodo servi Mariae Thenaugienfes magis idonei
fuerint, ad servitium tale alibi, et in Cella alba, intro-
ducendum.

Verum Cardo rei versatur non in cultu B. V. virginis,
sed in regulari disciplina. utinam vel nomen hujus ex-
primeretur in charta Sigemari, ut saltem umbram pro
sua opinione S. Stanislao nancisci posset. Jam tamen
mutuatur ex Diplomate Ludovici, ubi dicitur: Mo-
nasterium Thenaugienfe constructum fuisse à Patre et Avunculo
Wolffeni, nec non et ab ipsomet, ob regulares disciplinas
Quis hoc nescit? quodnam Monasterium nisi hunc in finem
constructum est? Sed quid hoc ad Donationem Sigemari
Nihil stabilitur, verba sunt S. Stanislai, nisi quod antea
inceptum erat, ergo dabit saltem, regularem discipli-
nam jam cepisse, antequam stabilenda à Cella alba
fuerat. Ceterum dicamus sine ambagibus et involucriis,
quod res est: donare aliquid ad stabilendum servitium
S. Mariae,

S. Maria, secundum sensum obivium, quem omnes, nisi sponte obtusi, intelligunt, nihil aliud est, quam aliquid contribuere in finem eum, ut qui donum accipit, magis exardescat in servitio ejusdem gloriosae Virginis, ut cultus ejus augeatur, ut Servi illi dicati multiplicentur, et hujusmodi plura, quae ipse addere potes. Sane si vel praedium donasset Sigimar, eadem phrasi uti potuisset. unde quando Ludovicus Rex anno 858. Thenaugiae confirmavit in alpegove Cellam, quae dicitur alba, aloffam, Waldhirscham seu quicquid in Italia in pago veronense et Tartonense wolfenus habuit, cum Ferris, pratis, sylvis, servis, mancipijs. & haec omnia fecit, ad stabilienoum inibi servitium S. Mariae. Ergo haec omnia introduxerunt disciplinam regularem in Monasterium nostrum?

Tertiam probationem S. Stanislai, licet saepius à me lectam et relectam, intelligere tamen prorsus nequeo. unde eam de verbo ad verbum adscribam, ut saltem doctior me lector me edocere possit. sic autem sonat: » III. Non solum pro firmanda et evahenda Thenaugiae disciplina Benedictina sigimarum Cellam albam eidem tradidisse, sed etiam unitam sibi prope dispa Thenaugiam edocemur ex laudatis Diplomatum Ludovici et Henrici, ubi ei sicut alia, confirmatur, et in alpigaude Cella, quae dicitur alba. morem siquidem eo auro viguisse, ut varie subin Cellae unico subessent Abbati, innumeris prodit exemplis Mabillonius Jo. II. Anal. Bened. Sequelam exinde legitimam nasci puto, Thenaugiae Praefules simul rexisse Cellam albam, nostrosque veros Pastores nominandos usque ad initium saec. X. hucusque S. Stanislau. Quae iterum, quomodo pro intentione ejus faciant, non capio. Mansit utique Cella alba aliquamdiu unita Thenaugiae, prout teste Mabillonio minores Cella majoribus Monasterijs iungebantur, ac proinde eodem Pastores habebat, iisdem Praefulibus regebatur. Sed numquid Pastores pascuntur ab ovibus? numquid Praefules

Praefules reguntur à subditis? quod tamen necesse est dicere
 si Concludere pro P. Stanislao velimus. Profectò si verita-
 tem amamus, verò potius argumento, dicere debemus,
 Fratres Cello alba utpote oves pastos fuisse à Gothberto
 seu potius ejus successoribus Pastoribus nostris, rectos,
 instructos, edoctos à Praefulis nostris, verbò disciplinam
 regularem à florentissimo tunc Monasterio nostro in Cella
 alba, primitus à Sigemaro fundatam, fuisse introductam.
 Homini impariali et a futuris eventibus non praecipue
 ponderandam relinquo diversitatem inter Rhenaugiam
 et Albam: Illa Monasterium in omnibus Diplomatum et
 Chartis illius Viri jugiter nominatus; haec simplex nomen
 Cella diu adhuc retinuit. Illa aedificijs justis atque
 Praefilia instructa fuit; hoc vix Capellam ligneam offen-
 dit. Illa Diplomatum Regijs, Donationibus Comitum
 ac Principum, ac amplis latifundijs in pluribus pagis
 quae hodie justos comitatus constituerent, honorata fuit;
 hoc nihil horum. Illa sanctissimo viro Fintano miraculis
 insigni claruit; Reliquijs de Roma quamplurimis; in
 alia Charta scribitur utiq; per hyperbolon; innumerabi-
 libus ditata fuit; Comites, Presbyteros, aliosque viros
 excellentes inter suos admittit; haec nihil horum authentice de-
 monstrare potest. Illi in Concilio generali Abbas confirmatus
 fuerat; haec ne Priorem quidem tunc habuit. Illa Reliquias
 insignes Cella alba intulit; haec à Rhenaugia obtinuit. Illa
 Fundatorem Cella alba Nobilem virum cum filio ejus in
 Monasterium suum suscepit; haec illo tempore per hoc injuriam
 sibi fieri conquesta non est. Verbo: non Rhenaugia Cella,
 sed Cella Rhenaugia incorporata fuit. Meditanti plures
 ejusmodi antihypothesen in mentem venire poterunt; quae qui
 animò sedato consideraverit, omni procul dubio naturalem
 Consecutionem faciet, par esse ut credamus, non Rhenaugiam
 à Cella alba, sed vice versa hanc ab illa instructam esse,
 maxime quod ad illud usq; tempus nihil prorsus solidum
 aut authenticum de Cella alba habeatur, ut proinde Nostrates
 haud aberraverint, quando simpliciter sine contentione dixerunt

Credibile

Credibile esse, Regulam S. Benedicti per S. Fintanum, Sigema-
rum, et Luthicum filium ejus Monachos nostros Cella alba
illatam fuisse.

Cella alba ritus suos, quos à S. Truperti inquilinis nec-
dum sub abbate constitutis mutasse vult Bucelinus, Rhenau-
giam introduxit. Potius a S. Trupertinis disciplinam
mutuare Benedictinam vult P. Manisslaus. Quare? quod
Bucelinus jam ad annum 801. Chronol. Constantiensis scribat,
sibi videri regulas a Trupertinis comunicatas fuisse San-
Blasiani. Alium nomen testem nec Bucelinus habuit, in hac
de veris monumentis destitutus, ut qui forte ignoravit, hanc
nec ullos sancti Blasianos existisse. Magis suspectam rem suam
facit iste auctor, quod in eodem numero dicat, eonjsgs id est
ad annum 801. Prioris titulo jam profuisse aliquos. Nempe
antequam Benedictinam Regulam à S. Trupertinis didi-
cissent, et quidem sub Prioris titulo ante seculum XI. ignoto.
Ejusdem farinae est alterum testimonium, quo ex eodem auctore
tantopere gloriatur P. Manisslaus, dum nempe ad annum 857.
ille scribit: "Hercinia instar Paradysi Domini germinans
germinat, in tribus maxime Cœnobijs Divi Blasij, S. Truperti,
et S. Georgij. S. Georgij in hercinia? aliud me docet Bertoldus
Constantiensis Continuator Hermannii Contracti auctor suppar
ad annum 1091. apud urbsium pag. 364. ubi de S. Wilhelmo
Hirsaugiensi ait: Pura Monasteria ex integro usquequaque
construxit, duo quidem in nigra selva, unum S. Georgij, alterum
S. Gregorij: scilicet in Rickenbach. videtur mihi Confusam
nonnunquam fuisse Bucelini memoriam, ut cum ad aliquem
annum non occurreret, quod adscriberet, sine scrupulo aliud
aliquando lectum apposuerit. Fortasse in eodem Bertoldo
ad annum 1083. legerat: tria Monasteria egregie pollebant,
S. Blasij, S. aurelij, et S. Salvatoris. Cui quidem testimonio
summa cum reverentia assurgo. Ceterum ad prædictum annum
857. aptius donationem sigemari apponere potuisset, si sci-
visset Bucelinus.

G.

Sustineri posset cum S. Gozbertum primum Rhenaugiensem
abbatem: ex alba Cella ineunte seculo IX. apprimè florente,
sicque

H.

Sicque antiquiore, assumptum, licet S. Gallenses ex solis Con-
jecturis eum libenter suum vellent. Quod de floribus et anti-
quitate ingeritur, in questione est. Ceterum Conjectura pro
S. Gallensibus tot et tanti sunt roboris, ut ijs vir prudens de-
negare asensum vix possit. Eas hic recensere, à me ne exigas
Lector, properat enim Calamus: invenies alibi. Quomodo porro
poterit S. Stanislauus sustinere Godebertum ex Fratribus Cella alba
fuisse, omni etiam Conjectura destitutus, cuius nequidem nomen
sicut nec ullius alterius Fratris occurrit. Sed nunc demum adverte,
quid tertia illa probatione pro restauratione disciplina ex Cella alba
dependente S. Stanislauus voluerit. voluit nempe ipse libenter
primum Praesulem et Pastorem Thenaugia fuisse ex Cella alba
postulatum, licet id cordate edicere non presumpserit. unde
ignosce Lector, si quid gravius tibi contra Antagonistam meum dicitur.

J. Antuarthum anno 861. recensentur Abbates Thenaugia, et
Celle alba Comunes. sed cum ex Diplomate secundo Ludovici
constet, Wolfenium jam anno 858. id muneris in se suscepisse, vix
credibile est, Godebertum primum abbatem adhuc profuisse The-
naugia, cum Cella alba illi traderetur. Ideo Antuarthus primus
illius Cella Praesul numerandus, utpote jam ante illud Diploma
Monasterio nostro unita, et quidem ad annum 854. secundus
erit sope dictus Wolfenus Restaurator noster, qui usque ad
annum 878. Regimen suum produxit. Reliqua cum Chronologia
nostra concordant.

K. Nomina porro Monachorum Cella alba, qui Thenaugiam con-
ceperant, discimus ex Necrologio S. Gallensi. vix credo, ullum
Monachum ex Cella alba Thenaugiam concessisse, nisi forte post
abbatis mutationem loci precipientis: quin potius quidam
Thenaugienso Cella albam concesserunt, professionem loci
adeuntes, disciplinam secundum regulam S. P. Benedicti
instruentes, S. reliquias S. Blasij illuc transferentes. ?
Multo minus verum est, duos illorum fuisse Presbyteros,
quatuordecim Monachos Conversos, et undecim Fratres
Sorores, ac Conversos in Thenaugia nullos novimus ante
finem seculi XI. unde frustra gloriatur ex hoc loco Pater
Stanislauus, ac si ex ipse constaret, Conversorum genus
jam

jam saeculo IX. in Cella alba viguisse, quos certum est, ante
 instituta Riniacensia atque ante saeculum XI. nullibi locorum
 reperiundos. Sed ut evidenter appareat, quantam vim pra-
 occupatio atque nimius rerum suarum amor in hominis non
 solum animum, sed etiam in sensus externos, atque adeo oculos
 exercere possit, exemplum hic nobis praebet S. Stanislavus
 Wulberg, qui dixit, Librum praedictum Fratrum conscripto-
 rum se in manibus gestasse, atque oculis accurate lustrasse:
 et hic vidit Monachos nostros Rhenaugioneses duodecimi saeculi
 ad annum 1120. sub Ottone abbate Rhenaugia existentes,
 Necrologijs nostris cum die emortuali illatos, et hic in
 pagina Sangallensi descriptos; vidit, inquam, et putavit se
 videre suos Albanos saeculi IX. homines; vidit Columnam
 rectam scriptam caractere saeculi decimi, et interpolatam
 scriptam alio ae pallido atramento atque manu saeculi XII.
 et tamen putavit se videre saeculo IX. olim viventes, eosque
 sibi horizontaliter legit, quos ipse Columnae perpendiculariter
 legendos esse demonstrant. Vidit in Columna recta scriptam
 Winerat, et ad latus interpolatum Albarn, qui sub Ottone
 abbate nostro obiit die 5. Decemb. et tamen se videre pu-
 tavit, et ex his duobus nominibus legere ii vinerunt Albani,
 ita ut Winerat significet ii venerunt, et Albarn, Al-
bani. Qui hoc potuit, quid non potuit? Mirandum
 jam non est, cum tot Albanos ibi vidisse. Ignoscere illi,
 nisi Confratres suos viros eruditissimos tam furpiter decipisset.
 Libentius ei ignosco, quod ait, hos esse, quorum sudore sta-
 bilium Rhenaugia servitium S. Mariae. Item Wolvenum
 indiguisset tot Conversis in structura Monasterij nondum
 perfecta. Opportune utique occurrerunt post ducentos,
 et quod excurret, annos.

Cellam albam ob Hunnorum incursionem aut derelictam, L.
 aut sicut alia loca sancta saec. X. ineunte devastatam
 supra innuimus. Et ego id probabilius factum credo
 propter auctoritatem Diplomatis Ottoniani, in quo
 Regin-

Reginbertus primus ibi habitare cepisse asseritur, quae utiq; locum aut derelictum aut destructum supponunt. Ceterum Hungari, non vero Hunni fuerunt, qui eam vastationem etiam Thenaugiae anno 925. intulerunt.

M. Num autem unus ex monachis fuga elapsis ac revertentibus, vel ex ipsa Thenaugia, aut ex Eremitio Dei para Unsidlensis fuerit, edicere nequimus. Nec ego de Reginberto pro certo aliquid edicere queo. Contra Unsidlenses sat, quod eorundem fundatio via aliquo tempore procedere potuerit, nec verisimile sit, religiosum aliquom, et solum, statim sine postulatione amandatum: Pro Thenaugiensibus ipsa procedens necessitudo, et quod in folio Sangallensi inter Thenaugienses aliquis Reginbertus adscriptus sit Calamo saeculi X. expressus, ut fidem quoque faciunt eidem conscripti circumscripti. Heremita vir sanctus vocatur, qui primus ibi habitare cepit, quae secundum sensum obvium Anachoretam indicant, qui solus Eremitum aliquamdiu incoluerit. Credibile est, Reginbertum ex instinctu divino locum ab alijs neglectum haud multo post Hungarorum vastationem habitare cepisse, atque paulatim alios congregatos, qui more anachoritarum pluribus annis sancte ibi vixerint, de quibus forte pleriq; intelligenda, quae Anonymus confuso ordine et gestis conglomerauit.

N. Factum, ut à iugo Thenaugiensi, et potestate Episcopi Constantiensis liberi evaderemus, antequam Thenaugia. Credo item huc referendum, quod Anonymus ait, Anachoretas illos Episcopum Constantiae adijisse, quod praecipue pro restauranda Cella seu Monasterio contigisse pro, maxime quod Thenaugia ipsa, ad quam locus ille pertinebat, Episcopi Curae ac potestati tunc subisset. Reginberti sanctitati, ac S. Conradi prudentia futurorum praesidio adscribendum, quod tunc Cella Alba ab Thenaugia separata fuerit, haud enim tot bona evenissent, nisi Cella illa in proprium Monasterium excrevisset. Verum hoc non eo pacto factum credo, uti P. Stanislaus, qui id Ottonem imperio, Gerere dixerim

dixerim injusto, renitentibus Ahenaugiensibus adscribere
omni modo conatur. Si possessionem ducturnam pro titulo
justo usurpet, saltem bonae fidei ne obliviscatur.

Ego vero omnia ordine, atq; cum debita solemnitate facta
fuisse assero, atq; adeo sanctum Episcopum non usurpata pro-
prietate Cellam a Monasterio dirulsisse, sed praehabito consilio
et assensu Fratrum Ahenaugiensium, qui Monasterii principa-
lis restitutioni intenti haud gravate in petitionem consen-
serint. Si enim S. Conradus Donationem venius. Radij anno 963.
acceptare noliat, nisi prius convocatis et rogatis monachis, ut
habetur in Charta mihi XXVIII. Coram praesentia Domini Conradi
Ep'i cum consensu Monachorum; quis credat alienationem totius
Cellae admisisse contra voluntatem eorum, quorum intererat,
cum id pugnet contra Regulam, contra justitiam, contra
Privilegia et ipsam Confirmationem regiam tradita Cella alba.
Profecto non tam tardos fuisse illius aevi homines mihi per-
suadeo, neq; tam subdole contigisse, aut tam secreto contingere
potuisse novam hujus Abbatiae Constitutionem. Fugno in hac
re contra Sancti Blasianos pro Sancti Blasianis.

Age vero hujus rei luculentum Testimonium producamus ex
sermone Sancti Blasianis, et ex ipso libro Constructionis, si tandem
aliquid veri contineat. Quid enim sibi vult illud notum Coma
pagina 8. averfa: Hujus temporis initiatum est Locus Ahenaugia,
a quo etiam sumpserunt privilegia sua, ut docet Calculatio sive
Descriptio Chronicarum. Loquebatur quidem prius anonymus de
Otone III. Imperatore, sed non adeo scrupulosus est in temporis
Computo, ut sub his formalibus hujus temporis spacium mediij
saeculi subintelligi non possit. Creditur ergo, per me
licet, initiatum fuisse Locum Ahenaugiae, vel quod Basilica
ab Hungaris profanata aut destructa, fuerit ab Episcopo recon-
ciliata, aut de novo consecrata; vel quod anno 973. proprium
Abbatem uti pertum permittente S. Conrado obtinuerit; vel deniq;
quod Dona haecenus ab Episcopis injuste usurpata anno 995.
fuerint restituta. mihi tamen vicissim cedendum postulo,
ab Ahenaugia Fratribus in Cella alba data fuisse Privilegia:
a quo etiam sumpserunt Privilegia sua; nemo enim ab alio aliquid
licite sumit, nisi ei fuerit ab illo datum. Quenam sunt igitur
ista

ista Privilegia? utiq; Immunitatis ab exactioibus laicis, Electionis proprii Abbatis, et Advocati, Libertatis &c. Ergo hoc Privilegia sumptere Fratres de Cella alba primitus et principaliter non ab Ottone aliquo, neq; ab Episcopo, sed à loco Thenaugiae; ergo haec illis data fuere, et quidem in forma authentica, et Litteris publicis, ut moris erat; quas quidem litteras saltem in Chartulario aliquo descriptas viderit Anonymus, quod sub verbis illis intellexerit Descriptionis Chronicarum.

Ne indignemini S. Blasiani Confratres Charissimi, quod dicam vos debere Thenaugiae S. Regulam et Institutum Benedictinum pretiosissimas S. Blasij Reliquias, deniq; Libertatem, et proprium Abbatem eligendi facultatem; qui primordia vestra non melior secundum statum modernum. Magnificate antiquam Thenaugiam; ne vos pudeat: nos magnificabimus paulò recentiorem S. Blasium; ne vos paniteat, aliquando Thenaugienses fuisse.

O. Primus itaq; S. Blasij Electus Abbas Peringerus à Sancto Conrado Epò Constantiensi benedictus et confirmatus intra annum 946. et 955. Obijt anno 974. Et illi anni tanto operi immaturi videntur, et mallem differri Electionem primi Abbatis ad annum 962. quando Reginbertus aulam Caesaris adivit pro Confirmatione Privilegiorum, et distinctione Honorum à Thenaugiae separatorum. Conformius enim aequitati et naturalius mihi videtur, ut Privilegia et latifundia Thenaugiae à Regibus Concessa et Confirmata, non nisi de Regis licentia alienentur, aut Separantur. Libere ergò cedo adquisse aliquando Diplomata Ottonis I. de anno 963. quo satis adhuc mature ante Thenaugiam proprium Abbatem poterat nancisci Cella jam non alba sed S. Blasij. Et quare non possit eousq; differri Peringeri Electio, cum expeditum non sit adhuc, an distinguatur ab illo, qui seculo sequenti vixit. Verum et hanc et illam alteram inter duos Reginbertos distinctionem, et Continuatam à seculo X. Abbatum seriem libenter amplector, licet res sint admodum obscura: sed quis praeiens in antiquis omnia plana et expedita requirat? scio jam à seculo XI. ad miraculum excrevisse S. Blasium; Ergo saltem seculo X. firmas radices ei admittamus.

Hec

Hæc mea sententia de Originibus Cello albo, fortassis non placitura, certe melius eliminanda: sed candor saltem in amico placeat, qui sumum respectum et observantiam gero non ad modernum modum sed et ad posterioris ævi S. Blasium. Hinc libertatem mihi concedi rogo, aliam synopsis historicam Originis Monasterij S. Blasij Compendij loco subiiciendi. Liberalis ero, quantum salva veritate licebit.

Synopsis Historica
Originis
Monasterij S. Blasij.

Ad annum 857. Sigemarum vir Nobilis cellam albam a se fundatam in loco, in quo secundum Traditionem antiquam plures Eremitæ diutius sanctissime vixerunt, Monasterio Thenaugiensi sub Confirmatione Regis Aludovici tradidit. à quo Monasterio hunc primo Restaurationis fervore florentissimo Cella alba sacras Divi Benedicti institutiones, et circa annum 867. pretiosissimas Divi Blasij Reliquias suscepit, iisdemque Praesulibus paruit, nempe

- Arturaro anno 857.
- Wolffeno usqz ad annum 878.
- Wichramo anno 885.
- Gozberto II. anno 888.
- Quoperto anno 912.

Vastata subin per Hungaros anno 925. Thenaugia, Regibertus Presbyter, probabiliter ex Thenaugienfibus, qui prius Cellam albam incolebant, ad locum ejusdem Cello derelictum Dei nutu se contulit, et aliquamdiu solus, deinde cum socijs Eremiticam vitam excoluit. Motus sanctitate Viri sanctus Conradus Constantiensis Episcopus, cujus cura tunc Thenaugia comissa erat, cum Consensu Fratrum Monachorum Thenaugienfium, Privilegium libertatis et Regendi proprium Abbatem

Abbatem cessit, obtentus per Regibertum ab Ottone I. Confirmatione ad annum 963. Berengerum primum Abbatem benedixit, et confirmavit, antequam Rhenaugios a Cura sua dimitteret, quos primum anno 973. Abbatem consecutos fuisse constat.

Reliqua ut Suprà.

Rhenaugia idibus Februarij anno 1770.
 B. Mauritius Stolkenbaum van der Meer,
 Monachus Rhenaugiensis et p. t. prioris